

conuenit cum Aristotelis placitis, cùm à calore cir-
cunfuso fructus in maturitate dulces euadant. Qua-
re melius opinor dicetur, quòd in cinere exæcta con-
coctio, & totius humidi resolutio causâ sit amaritu-
dinis; quòd solùm remaneat siccum terreum, & ma-
teria dulcis euanescat, vt etiam sentit Philosophus
libro de Sensu. Addit post hæc codex manuscriptus,
quoddam quasi scholium iam declaratorum. inquit
enim, & maximè morbofa, quæque morbo laborant
è causâ aduentitia: & quæ antea quâm pilus erumperet
albus, ab vlcere, aut ab ephippii ligni attritu passa
sunt, id demôstrare. Et causam assignat, tam illorum
quæ sunt ex attritione, quâm ab affectu morbofo.
locis enim, inquit, nequeuntibus similiter attrahere
alimentum, propter calidi natuui imbecillitatem, hu-
midum celeriter resiccatum, fit album. non enim po-
test calor ille quidem attrahere, eo quòd paucus sit,
etsi attractum iam potis sit excoquere & desiccare, ca-
loris ambientis ope. & notandum quoad rem, quòd
veterinis, puta asfinis, mulis, & equis, enascuntur aut
à copia sanguinis vel ab excalfactione, aut alia aliqua
mala sanguinis qualitate, tubera quædam; quæ tan-
dem humido à calore naturali non commoderato pu-
trescentia, abeunt in vlcera putrida. Quoniam autem
vt quarto Meteororum, docetur, ex humido & calo-
re externo fit putredo: arefacit calidum naturale: &
resoluto dissipatoque humido, locus is ob priuatio-
nem calidi, nequit allucere alimentum. (nam attractio
nutrimenti fit à calido.) itaque calore externo resic-
cante humorē naturalem, pilus gignitur candidus.
Sed Aristoteles decimæ sectionis, Problemate vigesi-
monono, sub finem inquit, Sed candidi pili oriun-
tur quoniam vt secunda hæc cutis imbecillior quâm